



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 90. Rex Hungariæ per suos Oratores Zizimum sibi tradi a Rhodiis postulans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A.C. 1488.

§. XC.

*Rex Hungariæ per suos Oratores
Zizimum sibi tradi a Rhodiis
postulans.*

*Bosio l. cit. in
hist. Rhod.*

Die decima evoluti Mensis Junii Hungariæ Rex Oratorem decrevit Petrum Rhetassium suum a secretis Ministrum, eumque amplissimis instruxit mandatis, quibus ab Albusonio peteret, ut Zizimus Matthiæ Regi traderetur, eoquod in ejus favorem Bajazethi bellum indicere, validoque exercitu illum in Europa adoriri pararet, dum interea eundem in Asia Sultanus Ægypti invaderet: hinc spem victoriæ haud dubiæ Rex faciebat, præsertim cum plures Turcarum Proceres Bajazethis imperium pertæsi sollicitè occasionem quærerent, quâ Zizimum Turcico solio restituere possent. Ea res in consilium adducebatur, & forte Rhodii Equites Matthiæ petitis annuissent, nisi summus Pontifex jam dudum ab Albusonio Ordinis Magistro instanter petiisset, ut Zizimus eidem redderetur; id tamen Papa nonnisi anno sequenti a Magistro obtinuit.

Interea Innocentius Christianos Principes ad sacrum in Turcas bellum strenue suscipiendum immoto studio accendit, atque ad alliciendos Anglos sacram militiam

militiam indixit; dedit præterea negotium Apostolico Hungariæ Internuncio, ut Bohemos, Hungaros, Polonos, & Germanos ad sacram expeditionem concitaret. Verum tam fervidæ Pontificis hortationes omni caruere effectu, nec ulatenus Principum animos affecerunt; cum illi aliunde bellis impliciti essent, quæ privatis eorum commodis magis consona fore credebant.

secul. XV.
A.C. 1488.

§. XCI.

Joannes Episcopus Varadinensis injuste de hæresi accusatus.

Cum in Hungaria Joannes Episcopus *Bonfin. dec. 4* Varadinensis, quod Huffitis in Bohe- *c. 10.* mia plurimum faveret, apud Pontificem in crimen hæresis vocatus esset, ideo Innocentius Legato suo datis literis præcepit, ut de scelere huic Præsuli imposito inquireret. Pontificis epistola data est Romæ die vigesima sexta Augusti. Legatus demandata sibi provincia functus, sedula inquisitione facta comperit, non nisi meras calumnias in Joannem ab invidis temere sparsas fuisse; unde de Præsulis innocentia Pontificem certiore reddidit, ac illius probitatem, & merita plurimum commendavit. Joannes, quamvis Matthiæ Regi apprime carus, ejusque beneficentia plurimum auctus, ac

ac